

deprimuntur ad terram. Nam frigore contrahuntur vasa, qua compressione omnes partes constipantur, incrassatur truncus et abbreviantur rami. Præterea calet terra maxime in superficie, qua radii solis tamquam in focum colliguntur. Nam superior plaga, quattuor aut quinque ulnarum distantia sursum ex summitate herbarum, aut tempestatibus refrigerata est, aut aëre, præsertim in alpibus jam minus condensato, maxima caloris parte privata; nullis ibidem objectis caloris materiam excipientibus.

Itaque vegetationis summa vis, maximaque caloris efficacia proxime ad superficiem terræ, adeoque circa radices agunt. Hinc vegetatio exstitit eximie *radicosa*, — si hoc vocabulo uti liceat, — quæ ad summum in alpibus enixa fastigium, quod radices ibidem maximam vegetationis partem constituunt non solum perseverantia, sed etiam mole, id imprimis effecit, ut plurimæ species per radices propagarentur; caulibus etiam ac truncis in radices speciem mutatis.

Hinc plurimæ species arborum in alpibus truncum habent subterraneum, vel saltim procumbentem; ramis tantum de terra eminentibus *n*).

---

*n*) Videre licet extrema Pini sylvestris, Abietisque individua, caudice valido atque robusto, sed repentina arboris contractura sum-